



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Sev Me Dribvrgvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

DRIBVRGV M OLIM IBVRGV M APPELLATV M,

I. SE V ME DRIBVRGV M. *Driburgi* vocabulum *Iburgo* esse recentius, & *Driburgum* hodiernum *Iburgum* olim appellatum testimonio sunt literæ Bernardi Episcopi Paderbornensis, *de grege ancillarum Dei*, quem in monte *Iborg* collegerat, in locum *Gerdinensem* transmigrante. An. 1136. & ejusdem literæ. de bono in *Erpinctorp* oblato Deo, B. Virginis, S. Petro & Ecclesiae in *Iborg*. An. 1138. & literæ ejusdem. de ancillis Dei, quas in monte *Iborg* collegerat, translatis in *Gerden* An. 1142. datæ. Cujus antiqui monasterij Gerdenam translati vestigia in montis vertice adhuc conspiciuntur. Rationem deinde nominis duabus primis literulis aucti innuit. Gob. Persona. cosmod. Ætat. 6. c. 38.

2. SAXONIS VT PERHIBENT MVNIMEN GRANDE. De *Iburgo* silent veteres Francorum Annales. Inter recentiores historicos Ertwinus Ertmannus consul Osnabrugensis in Chron. Osnabrug. MS. hæc memorat. *Tria præcipua & eminentiora castella concordi relatione antiquorum scribuntur*, videlicet in *Herisburch* in *Saxonia Hassionumque situm confinio*, *Sigeburch* quoque super *Ruram* fluvium positum, & nostrum *Iborch* quod ex jucundo situ terrarum egregium fuisse neino est qui dubitet. Contra Gobelinus Persona Ertwino antiquior in Cosmod. Ætat. 6. cap. 38. pag. 188. de *Iburgo* Paderbornensi sic narrat. *Carolus anno regni sui VII. ingressus Saxoniam cuncta devastavit, & castrum Ibrog, quod nos dicimus corrupto nomine Driborg, capit.* Gobelino Cranzius lib. I. Metrop. cap. xi. pag. 24. consentit. *Dedit Rex*